

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

UNIVERSITY OF TORONTO

M.A. Level Medieval Latin Examination

12 April 1999

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. Isidore: On Christian heresies

Quidam etiam haeretici, qui de Ecclesia recesserunt, ex nomine suorum auctorum nuncupantur; quidam vero ex causis quas elegentes instituerunt. Simoniani dicti a Simone magicae disciplinae perito, cui Petrus in Actibus apostolorum maledixit, pro eo quod ab Apostolis Spiritus sancti gratiam pecunia emere voluisset. Hi dicunt creaturam non a Deo, sed a virtute quadam superna creatam. Menandriani a Menandro mago, discipulo Simonis nuncupati; qui mundum non a Deo, sed ab angelis factum asserunt. Basilidiani a Basilide appellati, qui inter reliquas blasphemias passum Iesum abnegavit. Nicolaitae dicti a Nicolao, diacono ecclesiae Hierosolymorum, qui cum Stephano et ceteris constitutus est a Petro; qui propter pulchritudinem relinquens uxorem, ut qui vellet eam uteretur, versa est in stuprum talis consuetudo, ut invicem coniugia commutarentur. Quos Iohannes in Apocalypsi inprobat dicens: Sed hoc habes, quod odisti facta Nicolaitarum.' Gnostici propter excellentiam scientiae se ita appellare voluerunt. Animam naturam Dei esse dicunt, bonum et malum Deum suis dogmatibus fingunt.

2. Walter of Wimborne: The world's vanity

1. Mundi uolo uanitatem
et fortune leuitatem
breuiter describere,
que non habent firmamentum,
sed fugacem uincunt uentum
fugiendo propere.
2. Omnis honor temporalis
cito tanquam flos uernalis
disparere cernitur;
apud nullum diu manet,
sero uenit, cito uanet,
cito labi cogitur.
3. Honor mundi transituius
et reuera fugitiuus
est et certe lubricus;
est inanis et exilis,
breuis, leuis, uanus, uilis,
mendax ac sophisticus.
4. Ut quid, ergo, diliguntur
hec terrena que labuntur
et ut umbra transeunt?
Cur putamus hiis beari
que manere, que morari,
que teneri nequiunt?
5. O quam fallax est fortuna,
que mutatur sicut luna
diu stare nescia!
que nunc rapit, nunc largitur,
nunc insanit, nunc blanditur,
nunc trux, nunc propicia.
6. Opes iste temporales
non sunt nisi tipicales
et ymaginarie.
Qui rex heri uocabatur
quique stare uidebatur,
ecce ruit hodie!

3. Dhuoda's apology for presumption in speaking unworthily of God

Rogo et humiliter suggero tuam iuventutis nobilitatem, quasi praesens, necnon etiam et illos ad quos hunc libellum ad relegendum ostenderis, ne me dampnent vel reprehendant pro eo quod sim temera in tali acumine laboris, ut tibi aliquid de Deo dirigi audeam sermonem. Certe et ego ipsa, considerans casum humanae fragilitatis meae, me reprehendi indesinenter non cesso, cum sim misera, cinisque et pulvis. Et quid dicam? Si patriarchae et prophetae, et ceteri sancti, a protoplasto usque nunc, eius non valere plenius intelligere sacramentis documenta, quanto magis ego, exigua et infimi generis orta! Et, si, ut ait Scriptura, coelum et coeli coelorum eum prae magnitudine capere non possunt, quid ego imperitissima valeam dicere?

Legimus in Geneseo quod cum beatus Moyses, ex consortio familiaritatis sermonum Dei, eius voluisset intueri vultum, ita alloquens ait: Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi teipsum ut videam te. Responsum est illi: Non poteris videre faciem meam, nec enim videbit me homo et vivere potest. Et si in sanctis ita, quid putas in terris mihi similes? In hac denegatione conspiciuitatis valde meus marcescit animus: aestuat enim sensus.

4. Gesta Francorum: Adventures in Outremer

Et cum iam essent omnes inimici nostri (Deo trino et uno summoque dignas referimus grates) per omnia deuicti huc illucque fugientes, alii semiuiui, alii uulnerati, in uallibus et in nemoribus et in aruis et in uiis deficiebant mortui. Populus uero Christi uictores scilicet peregrini, reuersi sunt gaudentes felici triumpho deuictis hostibus in ciuitatem. Statim omnes nostri seniores, uidelicet dux Godefridus, comes Sancti Egidii Raimundus, Boamundus, et comes Nortmanniae, comesque Flandrensis, et alii omnes miserunt nobilissimum militem Hugonem Magnum imperatori Constantinopolim, ut ad recipiendam ciuitatem ueniret, et conuentiones quas erga illos habebat expleret. Iuit, nec postea rediit.

Postquam uero haec omnia facta sunt, congregati omnes nostri maiores ordinauerunt concilium, quemadmodum hunc feliciter ualerent conducere et regere populum, donec peragerent iter Sancti Sepulchri, pro quo hucusque multa erant passi pericula. Inuentum est in concilio, quia nondum auderent intrare in paganorum terram, eo quod ualde in aestiuo tempore est arida et inaquosa; ideoque acceperunt terminum attendendum ad kalendas Nouembris.